

CONCIO VII.

DOCUMENTA.

- I. Discimus a Christo : 1. Plures esse ad cælum vias. 2. Facere officium. 3. Vitare curiositatem. 4. Libere redarguere principes. — II. Discimus a Petro : 1. Dilectionem proximi. 2. Efficaciam pœnitentiæ. — III. Discimus a Joanne : 1. Vulgi rumores contemneret. 2. Modeste de nobis loqui. 3. Quid ambire oporteat.

THEMA.

Recubuit in cœna super pectus ejus. Joan. ult.

Impletum hic videmus in Joanne, auditores quod Gen. XLIV. præfiguratum legimus in Benjamin, quem cum præ cæteris fratribus dilexisset Joseph, cæterorum saccos frumento quidem implevit, Benjamin vero saccum non frumento solum, sed etiam scypho argenteo, in quo augurari solitus erat. Hunc in modum Christus in ultima illa cœna cæterorum apostolorum pectora pane eucharistico replevit, pectus vero Joannis, utpote sibi dilectissimi insuper proculo sapientiæ cœlestis; dum videlicet ei recumbenti, in sinu suo, arcana pectoris sui revelavit, quæ cæteris abscondit. Sic enim testantur SS. Hieronymus et Augustinus alique patres, Joannem in eo recubitu hausisse lac sapientiæ singularis de sinu Salvatoris. Felix est Joannes, sed felices etiam nos, si ad Dei verbum, quod in concione quasi in cœna nobis proponit, mentem serio advertamus; sic enim in pectus Domini spiritualiter incumbemus, et ex eo hauriemus lac sapientiæ divinæ. Testatur experientia circumspectos esse illos, qui lacte illo nutriuntur et delectantur: rudes contra et cæcos, qui ab eo abhorrent. Vos ergo, auditores, Joannem imitantes, recumbite in sinum hodierni evangelii, et doctrinas ejus haurite.

Tres personas cernimus in hodierno evangelio, Christum, Petrum, Joannem; audiamus singulos.

I. A Christo discimus, plures esse ad cælum vias, omnes tamen in terminum unum coeuntes. Audimus enim voluisse Dominum ut Petrus per martyrium crucis, Joannes vero sine martyrio, placida morte, ad gloriam sibi destinatam venirent: ut Petrus in martyrio suo dolores sentiret et obiret, Joannes vero in ferventis olei dolio nihil persentisceret et vegetior inde exiret. Nemo itaque diffidat assequi beatitudinem, tametsi Petrum, martyres, religiosos, doctores, eremitas, virgines, viduas sequi nequit. Teste D. Gregorio apud Dionysium Carthusianum, in Luca XVI. quidam rapiunt regnum cælorum per omnium abjectionem, alii illud mer-

cantur per eleemosynarum largitionem, alii illud furantur per occultam sanctitatem, alii quasi compelluntur ipsum acquirere per temporalem adversitatem. Tu itaque si rapere per martyrium vel voluntariam paupertatem nequis beatitudinem, eme; si emere nequis, furare; si nec hoc, emendica continuis orationibus.

Secundo, facere officium nostrum, nec curare quid alii in hoc vel simili genere faciant. Reprehenditur enim Petrus Christum sequi jussus, dum prius scire vult, quid facturus sit Joannes: *Quid a te?* ait Dominus: *Tu me sequere.* Hoc sibi dictum habeant, qui aliis præcedere nolunt ad fidei catholicæ professionem, ad pœnitentiam, ad templum, ad publica pietatis officia: sed dicunt: Si magistratus vel vicini mei hoc fecerint, sequar et ego. Quid ad te, quid alii faciant? Si tibi januam cœli Petrus reseraret, non dubito, quin mox saltum in id faceres, minime attendens, quid retro alii facerent. At cum vocaris ad conversionem et catholicam religionem, profecto januam cœli Petrus tibi aperit, Ecclesiam videlicet. Qui in naufragio cum undisluctantur, proximam quamque tabulam vel naviculam apprehendunt, seque in ea salvant, non curantes qui alii faciant. Pœnitentia peccatoribus oblata hujusmodi tabula et navicula post naufragium est.

Tertio, vitare curiositatem, si enim Dominus in Petro, cui paulo ante commendarat oves suas, non vult pati curiositatem, quanto minus in subditis? Et si tam levem illam taxavit curiositatem, profectam ex amore, quid nunc diceret Dominus de mundi curiositate? Qui fere totus est non in suis expurgandis sordibus, sed in alienis, nec vero ex amore, sed ex odio et invidia. Nihil frequentius audimus, quam cives confabulantes, et querentes modo de magistratu, modo de clericis, modo de imperatore et principe, modo de vicinis: quod hic vel ille non faciat suum officium, delicta non corrigant, mala exempla præbeant, etc. *Quid a te?* Cæterum ea curiositas, quæ rimatur illa quæ supra nos et caput nostrum sunt, maxime vitanda. Ut enim papilliones dum identidem circumvolant lumen, semetipsos amburunt: ita qui scrutari volunt Dei arcana, vel quæ non nisi demonum ope sciri queunt. Habebat Lovanii Cornelius Agrippa insignis magus commensalem nimis curiosum. Semel profectus aliquo, uxori claves musæi sui tradidit, addita prohibitione, ne quem ingredi sineret. Inconsultus iste adolescens opportune importune non destitit mulierculam deprecari, sibi copiam ingrediendi ut faceret donec impetravit. Musæum ingressus incidit in libellum conjurationum, legit, en illi pulsatio ad januam, turbatur; sed pergit legere. Pulsat ite-

rum nescio quis, et nihil respondente rudi harum rerum juvene, dæmon ingreditur; quærit cur vocatus? Quid fieri jubeat isti metus vocem intercludit, fauces dæmon. Sic miser luit pœnam nefariæ curiositatis. Refert Mart. Delrio, I. II. disquisit. mag. q. XXIX. sect. 1.

Quarto, principes etiam viros libere redarguere, cum delinquant; siquidem et Petrum, quem paulo ante pastorem Ecclesiæ constituerat, de curiositate reprehendit. Nimirum pulverem in pedibus facile toleramus, sed non item in capite. Principes sunt capita, subditi vero pedes. Ita Nathan reprehendit Davidem, II. Reg. XII. § 4. et Elias Achabum regem, III. Reg. XVIII. § XVIII. Eliseus Joram regem, II. Reg. III. § 13. Jehu propheta Josaphatum regem, II. Par. c. XIX. Zacharias Joam regem, II. Par. c. XXIV. § XX. propheta alius Amasiam, II. Par. c. XXV. § XV. Azarias Osiam regem, IV. Reg. XXVI. § XVI. Isaias Ezechiam, Isai. XXXIX. § III Joannes Baptista Herodem; Christus Scribas et Phariseos; Paulus pontificem, Act. XXIII. § III. S. Ambrosius Theodosium imperatorem; S. Bernardus Guilielmum Aquitaniæ ducem; S. Babylas episcopus Antiochiæ Numerianum imperatorem venientem ad ecclesiam et volentem inspicere sacra mysteria repressit, dicens: *Non licet tibi idolorum sacrificiis polluto ecclesiam ingredi et divina mysteria contaminatis oculis spectare.* Quare offensus imperator eum necavit, sed et ipse paulo post a socero enectus, Niceph. I. V. c. XXXI. II. Agapitus pontifex cum a Justiniano imperatore premeretur ad confirmandam hæresim Eutychianam, ei respondit: *Ego ad Justinianum christianissimum imperatorem venire optavi, sed Diocletianum inveni,* Cedreno auct. Leogi Isaurico imperatori Iconoclastæ S. Germanus Constant. patriarcha in faciem dixit: *Tu es antichristus;* quemadmodum et S. Athanasius appellat Constantinum imperatorem *Arianum.* Hinc olim in regno Aragoniæ moris fuit, ut rex non eligeret sibi confessarium, sed his in comitiis regni a statibus eligeretur, regique daretur; cui rex nec benefacere poterat, nec male; ad hoc ne spes vel timor retardare posset confessarium a rege libere admonendo. Talis cum Jacobo Aragoniæ regi datus esset S. Raimundus: isque regem ob concubinationem perpetuo reprehenderet, rege emendationem quidem promittente sed non præstante, inissionem ab eo petiit. Negavit rex, omnibusque nautis prohibuit sub pœna capitis, ne quis Raimundum alio transveheret. Verum Raimundus oratione sua implorans Dei opem accessit ad mare, in eo cappam suam, facto signo crucis, expandit, in eamque velut in navim inscendit, scapulari pro velo utens

et baculo pro remo, sicque, inspectante rege ejusque aula secundo ventu celerrime sex horarum spatio in conspectum Barcinonis venit, Ferd. Castiglius, in hist. S. Dom. I. II. cap. XVII. huc aspiciere possunt confessarii principum.

II. A Petro discimus primo, dilectionem proximi, quam ostendit erga Joannem, dum pro illo quodammodo sollicitus discere vult, quale genus mortis ipsi eventurum sit. Erant enim hi duo apostoli velut duo oculi in collegio apostolorum et Ecclesia, ideoque sæpius in ss. litteris combinati leguntur. Simul cucurrerunt ad sepulcrum Domini, Joan. XX. Simul ascenderunt in templum ad horam orationis nonam, Act. III. simul missi sunt ad confirmandos Samaritas, Act. VIII. Ergo sicut bini in capite oculi simul semper moventur, et in idem objectum aciem intendunt, ita etiam Petrus et Joannes animo conjunctissimi erant, et ægre a se mutuo divelli poterant, in exemplum primo prælatorum, ut inter se unionem servent. Secundo, religiosorum, qui nunquam soli, sed combinatim et cum comite, qui vitæ sit testis, semper ambulant, ne audiant id D. Thomæ Aquinatis: *Monachus sine comite dæmon solitarius.* Tertio, Christianorum omnium, qui cum omnes unius corporis mystici membra sint, pro se mutuo solliciti esse, et ægre a se divelli debent.

Secundo, efficaciam pœnitentiæ. Etenim Petrus, qui ante negationem non est ausus rogare Christum de proditore, sed Joanne internuntio est usus: nunc post negationem lacrymis expiatam interrogat Christum pro Joanne. Unde apparet verum esse, quod ait S. Gregorius, plerumque gratiorem esse Deo fervente vitam post culpam, quam securitate torpentem innocentiam. Zacharias post pœnitentiam non solum recuperavit loquelam, sed prætera etiam accepit spiritum prophetiæ. Unde S. Ambrosius, I. II. in eum locum Luca ait: «Vide quam bonus Deus et facilis indulgere peccatis; non solum ablata restituit, sed etiam insperata concedit. Nemo ergo diffidat, novit Dominus mutare sententiam, si tu noveris emendare delictum.» Filius, Luc. XV. prodigus post pœnitentiam, et deprecationem reversus ad patrem, majoribus blanditiis et gaudio exceptus est, quam sit domi habitus ante culpam: Lazarus denique non legitur cum Christo discubuisse, nisi postquam a morte resuscitatus fuit, Joan. XI.

III. A Joanne discimus primo, vulgi rumorem contemnere, ut qui instar galli versatilis omni vento cedit et credit nova præsertim et insolita quantumvis absurda. Nihil minus credibile est, quam hominem aliquem non mori. Et tamen cum dixisset Dominus: *Sic volo manere Joannem,*

statim vulgus hoc eo interpretatus est, Joannem non moriturum. Hinc Joannes XXIII. papa interrogatus, quid foret a veritate remotius, respondit: « Vulgi sententia. Quidquid enim laudat, vituperio dignum est; quidquid cogitat, vanum; quidquid loquitur falsum; quod improbat, bonum est; quod approbat, malum; et quidquid extollit, infame. » Intellexerunt hoc et ethnici. Cum enim Atheniensibus proditum esset oraculum, in ea civitate unum esse virum, qui cunctorum sententiis adversaretur, ac populus vociferans jubebat eum quæri ad necem, Phocion in medium procedens: *Ego inquit, ille sum, quem oraculum designavit. Mihi enim omnia ea displicent, quæ vulgus dicit et agit*, Plutarch. in apophth. Similiter Antisthenes quodam die theatrum ingressus, adversus populum nitens ingrediebatur, et causam rogatus, dicebat: *Hoc in omni vita facere studeo*: sentiens sapientis esse a multitudine dissideere, nec pecorum more ire qua itur, sed qua eundum est, Laert. lib. VI.

Hinc etiam perspicimus solam mortem nobis certam esse; nec contrarium credendum esse, tametsi ejusmodi sermo exiret inter fratres Christi seu apostolos. Alia nostra omnia fortunæ incertæ subjecta sunt: sola mors est certa.

Rursum cernimus aliud esse audire Dei verbum, aliud intelligere. Audierunt aliqui Christum dicentem: *Sic eum volo manere*, sed non intellexerunt.

Secundo, modeste et humiliter de nobis ipsis loqui et sentire, hoc enim facit Joannes in hodierno evangelio, dum quædam honorifica de se recensens loquitur in tertia persona quasi de alio. Ita solent sæpe præstantissimi pictores suis artificii loco obscurissimo et subtilissimo caractere nomen suum inserere; cum contra imperitum aliquem cernas, qui rudi suo operi nomen suum majusculis appingat. Audiit nimirum Joannes Dominum dicentem: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum*. Hoc autem faciunt qui laudes sibi tributas respuunt, et cum ab aliis laudantur, dicunt: *Non sum is ego, de quo hæc dicuntur: laus hæc mihi non debetur*. Ursus aversis vestigiis, lepus saltu facto ingreditur cubile suum, ut lateant venatores, hunc in modum nos ut merita virtutum adeoque animas nostras servemus a venatore diabolo, abscondere debemus, quæ in nobis laude dignasunt.

Tertio, quid ambire, quidque magni aestimare, et de quo unice gratulari nobis debeamus. Id enim est, charitas Christi, si nos ipse diligat. Unicus hic titulus prærogativa dilectionis plus Joanni fuit, quam si rex vel imperator foret. Habuit Joannes præter illam prærogativam alias

quam plures; fuit enim consanguineus Christi; fuit post Petrum primus inter apostolos et Petri socius: fuit custos Deiparæ et quasi filius matri a Christo commendatus; fuit inter quatuor Cherubinos typo aquilæ representatus; fuit apostolorum senior, qui postremus omnium vixit; fuit evangelista omnium celeberrimus; fuit martyr, tum quia Christo in cruce assistens, omnes ejus dolores per compassionem degustavit, tum, quia Romæ in dolium ferventis olei immisus fuit; fuit archiepiscopus, qui totas Asiæ fundavit rexitque Ecclesias, ut ait S. Hieron. de script. eccles. fuit virgo; fuit Boanerges et filius tonitruum. Et tamen de nullo horum sibi gratulatur, præterquam de sola Christi dilectione. Quisquis ergo magnus esse cupit, talem se exhibeat, ut mereatur a Christo diligi.

CONCIO VIII.

MYSTERIA EVANGELICA.

- I. Quid illud: *Sequere me*? — II. Cur rogat Petrus: *Hic autem quid*? — III. Quid illud: *Sic eum volo manere*? — IV. Cur reprehendit Christus Petrum: *Quid ad te*? — V. Fuitne Joannes Christo dilectissimus? — VI. Cur Joannes rescribit? *recubuisse se etc.* — VII. Cur Joannes in sinu Christi recubuit?

THEMA.

Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his et scripsit hæc. Joan. ult.

Feriæ istæ natalitiæ præsignatæ videntur esse per ferias tabernaculorum, quæ in exitu anni celebrabantur, quemadmodum et feriæ Christi natalitiæ modo celebrantur. Nam in illis feriis habitabant Judæi in tabernaculis erectis in memoriam protectionis divinæ, quæ Hebræos in deserto ita protexit, ut sine domibus in tabernaculis per annos quadraginta vixerint. Jam vero etiam Christus in stabulo et hospitio ipsaque peregrinatione Bethlehemica natus est: ut in mundo nobiscum quasi in tabernaculo versaretur, nosque ex eo ad patriam cælestem duceret. Ingestabant Hebræi manibus quatuor arborum ramos, vel fructus. Primo, fructus arboris pulcherrimæ: secundo, spatulas seu ramos palmarum: tertio, ramos ligni densarum frondium seu myrti: quarto, ramos salicum, et sic lætabantur coram Domino, ut præcipitur, Levitici XXIII. Similiter in his feriis gestamus seu colligimus primo, fructum arboris pulcherrimæ, id est Christum, fructum benedictum ventris virginæ: cum primo die missarum solemniter celebramus martyrium et victoriam pro-

tomartyris Stephani: tertio, lignum densarum frondium, cum tertio die celebramus festum S. Joannis, densa et altissima mysteria eructantis: quarto, salices, cum quarto die festum innocentium, qui quasi salices de torrente, fructum bonorum operum non habentes, subito per solam Dei gratiam ad cælos salierunt. Nunc ad honorem hodierni festi evangelium expendemus.

I. Quid sibi vult illud Christi ad Petrum: *Sequere me*? Resp. primo, invitari Petrum hoc verbo ad martyrium, et quidem crucis, quod immediate ante prædixerat ei Dominus, dicens: *Cum esses junior cingebas te et ambulabas ubi volebas: cum autem senueris extends manus tuas* (in cruce videlicet) *et alius te cinget et ducet, quo tu non vis: hoc autem dixit*, ait Joannes, *significans qua morte clarificaturus esset Deum*. Subdit ergo mox: *Sequere me*, videlicet ad martyrium. Sed quemadmodum minister sequens Dominum, posteriore et humiliore se loco statuit, ita S. Petrus, indignum se ratus crucifigi in modum Domini sui, petiit ut capite inverso crucifigeretur.

Secundo, invitari hoc verbo Petrum ad ferendum onus summi pontificatus, quod tunc ei Christus commiserat prævio illo triplici examine: *Simon Petre, diligis me plus his*? Facile est ad honores sequi vocantem Dominum, sed non ita facile sustinere prævium examen et onera consequentia. Olim quando filii Zebedæi petierant sedere ad dexteram et sinistram Christi, mox Matth. XX. Luc. XXII. inter cæteros discipulos, indignantes et invidentes illis duobus orta est contentio, quis eorum videtur esse major. Sed jam postquam audierunt rigidum Petri examen, ante ejus investituram ad summum pontificatum, et crucem ei decretam, nemo unus indignari aut invidere illi visus est: nimirum si noscerentur onera, quæ honores consequuntur, non ita passim appetentur. Unde Val. lib. VII. c. II. scribit de quodam rege, quem ferunt traditum sibi diadema, priusquam capiti imponeret, retentum diu considerasse ac dixisse: « O nobilem magis quam felicem pannum, quem si quis penitus cognoscat, quam multis sollicitudinibus et periculis et miseriis sit referendus, ne humi quidem jacentem tollere vellet. »

Tertio, invitari ad vitæ et sanctitatis imitationem. Hoc enim verbo apostolos ad sui, non corporalem tantum sequelam solebat vocare Dominus, q. d. qualis ego pastor fui, talis sis et tu. Hinc jure summum pontificem vocamus suam sanctitatem, vel sanctissimum Dominum, quia per hoc primo, admonemus eum officii sui, ut qui Christum representat officio, representet et moribus, juxta vocationem illam: *Sequere me*: secundo,

quia merito præsumere debemus talem sibi vicarium Christum constituisse, qui sanctus sit ut ipse: quoniam, quia ad hoc connoti debet, ut omnes Christi oves perducat ad sanctitatem.

II. Cur de Joanne interrogat Petrus Christum: *Hic autem quid*? Resp. primo, fecisse id ex amore, (quemadmodum Joseph interrogavit Benjamine, eumque ad se adduci voluit, ut quem maxime dilexerat, Gen. XLIII.) qui valde illum diligebat. Unde et alibi sæpius in Scriptura, simul juncti leguntur, ut cum una ad sepulcrum Christi cucurrerunt, Joan. XX. cum simul ad templum ascenderunt, Act. III. cum utrumque misit Dominus ad parandum pascha, Luc. XXII. cum ambo simul missi sunt Samariam, Act. VIII. et ad Gal. II. simul visi a Paulo sunt. Hinc S. Chrysostomus putat eum voluisse habere Joannem socium et collegam passionis. Nimirum amor Christi ita eos colligabat; quia enim advertit Petrus Joannem a Christo maxime diligi, ideo et ipse maxime eum dilexit. Unde præ cæteris diligendi sunt, quos a Deo magis diligi videmus. Sed non abjiciendi mali, quia et istos diligere quærit Deus. Docet etiam nos Petrus id ipsum bonum, quod nobis impendit Deus, communicare et optare proximis nostris, etiamsi forsitan id minus illis placeat. Ita enim Petrus crucem sibi decretam, velut magnum beneficium, amicissimo sibi apostolo communicari cupit. Ita et S. Paulus Agrippæ, regi dicenti: *In modico suades me Christianum fieri*, respondit: *Opto apud Deum, et in modico et in magno, non tantum te, sed etiam omnes qui audiunt hodie, fieri tales, qualis et ego sum, exceptis vinculis his*, Act. XXVI.

Secundo, secundum S. Hieronymum id fecisse Petrum, ut vicem Joannis rependeret. Cum enim in cena scire desideraret, quis esset traditurus Christum, non audebat interrogare Dominum, innuit Joanni ut Christum interrogaret, Joan. XIII. Quare nunc vicissim, cum existimaret Joannem, utpote simili zelo ad sequendum magistrum præditum, scire desiderare, qui et ipse morte clarificaturus esset Christum, interrogat pro ipso. Unde discimus nos Christiani, non tradendum oblivioni obsequium ab alio nobis præstitum, sed data occasione compensandum.

III. Quid sibi vult responsio Christi: *Sic eum volo manere, donec veniam*? Resp. non negare Joannem moriturum, quia Joannes ipse subjicit: *Et non dixit Jesus: Non moriturus etc.* et deinde communis est sententia patrum, Joannem esse mortuum, et visum ejus sepulcrum Ephesi. Vult ergo dicere Christus primo, Joannem martyrio non consumendum, quod soli ipsi datum. Nec immerito, nam primo martyrium jam pertulerat,

cum Christo crucifixo solus ex discipulis individuus comes adsuerat. Cum enim magistrum suum ardentissime amarit, et amans plus sit in amato, quam in se; plus proinde passus est in Christo, quam in seipso passus esset, si fuisset tortus. Secundo, quia perpetuo virgo fuit. *Habet autem et pudicitia servata martyrium suum*, ait S. Hier. ep. ad Demetriadem virginem: et August. serm. XX. de temp. ait. « Inter omnia Christianorum certamina, sola duriora sunt praelia castitatis, ubi quotidiana est pugna et rara victoria. »

Secundo, Joannem non communi hominum morte violenta, acerba scilicet, sed suaviter, placide et absque doloris sensu ex hac vita transiurum, et quasi per somnum placidum integris sensibus ac viribus ad Christum migraturum. Porro sic obdormisse Joannem communiter tradunt patres. Cum enim foveam in templo fieri jussisset, in eam descendens, extensis manibus, post prolixa fusæ orationis verba migravit, moxque tanta eum lux circumfulsit, ut nullus eam ferret aspectus, ut scribit Petrus Damianus, ser. II. de S. Joanne et alii.

Tertio, Joannem mox post mortem (juxta probabilem multorum opinionem, Cantiprat. Nicephori, Damiani, Thomæ Aquinatis, et aliorum apud Hieronymum vel quisquis est auctor, ser. de assumptione B. M. V.) resurrecturum, et ita corpore et anima pariter in cælum, ad instar B. Virginis assumendum, q. d. Christus: *Sic eum volo manere*, id est, corpore integro, nec ut aliis corporibus accidit, in pulverem resolutus: *Donec veniam*, ostendendo illi gloriam meam. Argumentum hujus rei est, quod historiæ referunt, corpus ejus postero die in sepulcro non inventum, sed pro eo manna tantum scaturiens, et crepidas illius. Nihil etiam de corporis ejus reliquiis constat aut reperitur. Denique, accedit congruentia, quia sicut Deipara et Joannes fuerunt socii passionis Christi, ita juste sunt et consolationis, cum Christo jam immortalitate vestiti, ut ait Cantiprat. l. II. apud. cap. LIII. Item quia matris loco habuit incorruptam semperque Virginem Mariam: denique, quia specialiter a Christo dilectus.

IV. Cur reprehendit Christus Petrum: *Quid ad te?* Resp. primo, ut instruat Petrum et magnos pastores, vacare eos debere etiam levibus culpis: siquidem in Petro jam designato summo pontifice, vel levem curiositatem taxat. In membris crassioribus facile sordes toleramus, sed in oculo minimum etiam pulvisculum ægre ferimus, et continuo eximimus. Prælati sunt Christi oculi, quoniam de illis dixit per prophetam Zach. c. II.

Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei. In his etiam levia errata sentit et radarguit, quæ in aliis facile tolerat.

Secundo, ut moneat Petrum et pastores præire eos debere aliis ad virtutem, licet nullos habeant comites, nullos etiam sectatores. Plebs attendere ad prælatum, prælatus attendere ad Christum et ejus mandata debet. Hoc est, quod voluit Dominus, cum discipulis suis, Matth. V. dixit: *Vos estis sal terræ: et si sal infatuatum fuerit, in quo salietur?* id est, si vos, inquit S. Augustinus, lib. 1. de serm. Dom. in monte, cap. VI. « Per quos condiendi sunt quodammodo populi, metu persecutionum temporalium amiseritis regna cælorum; qui erunt homines, per quos a vobis error auferatur, cum vos elegerit Deus, per quos errorem auferat cæterorum? » Non debet ergo prælatus converti cum Petro ad populum sibi subiectum, ita ut ad ejus exemplum respiciat, sed ipse potius exemplo suo ei præire, et constanti suo progressu populum ad se allicere debet. Ita Paulus in judicio Neronis perstitit immotus, licet omnes eum deseruissent ob metum Neronis, ideo adfuit ei Dominus, II. Timoth. IV. Hinc fortasse Petrus, cum hortatu Christianorum fugisset a Neronis gladio et carcere, retrahitur a Christo sibi dicente: *Vado Romam iterum crucifigi, q. d. tu me sequere, quid ad te?* quid alii faciant aut suadeant?

V. Fuitne Joannes præ omnibus discipulis Christo dilectissimus? Respond. id non convinci ex Scriptura, nec certo asseri posse. Quod enim ait Scriptura fuisse dilectum a Christo, asserit id sine comparatione: et intelligi potest de magna dilectione, quæ multis amoris indicis ostensa sit. Sane in hac cum illo certare videtur Petrus. Porro uterque sua dona habuit peculiaria, ob quæ magis quam alter poterat amari, verbi gratia, si præcelluit Joannes castitate, præcelluit Petrus fide, ut qui solus respondit Domino: *Tu es Christus Filius Dei vivi*: si Joannes præcucurrit Petro ad sepulcrum Christi, Petrus introivit in monumentum prior, adeoque hic cordatior, ille ferventior fuit: si Joannes in navi prior agnovit Christum, dicendo: *Dominus est*, Petrus ad hanc vocem misit se in mare et natando ad Christum venit, quod non fecit Joannes nec cæteri discipuli: si Joannes recubuit supra pectus Christi, Petrus ejus lateri primus semper adhesit: si Joanni commendavit matrem, Petro commendavit Ecclesiam: si Joannes fuit discipulus, quem diligebat Jesus, Petrus fuit discipulus, cui dixit Jesus: *Diligis me plus his?* si in cœna Joannes præ Petro ausus est interrogare Christum, Petrus in hodierno evangelio idem ausus est præ Joanne. Itaque

non decernunt patres, uter horum Christo magis dilectus fuerit, et videtur præsumptuosum, ut ait S. Thomas, 1. p. q. XX. art. IV. hoc velle judicare, quia ut dicitur Proverb. c. XVI. *Omnes viæ hominis patent oculis ejus: spirituum ponderator est Dominus.* Videtur etiam Christus id aperire noluisse, ne alter alteri se præferendi causam haberet.

VI. Quare Joannes de seipso scribit, se recubuisse super pectus Christi, et dilectum ab eo fuisse, eumque interrogasse: *Quis est qui tradet te?* Respond. primo, id fecisse propter nos ad majorem evangelio suo fidem comparandam, ut cujus auctor fuerit discipulus Christi intimus et dilectissimus, quique merito credatur hausisse e Christi pectore fluentia evangelii: ita eximii pictores suis operibus nomina appingunt sua, subtili penicillo, ut inde illis æstimationem concilient, cognito auctore.

Secundo, propter Petrum, ut vult S. Joannes Chrysostomus, homil. LXXXVII. in Joann. « Ut ostendat, inquit, Petri post negationem fiduciam. Qui enim tunc non est ausus interrogare Christum, sed id muneris Joanni delegaverat; hic commissæ sibi fratrum cura non alteri vicem

suam mandat, sed ipse magistrum interrogat. Et Joannes quidem tacet, ipse autem loquitur, etc. »

Tertio, propter Christum, ut amorem ejus erga se prædicet et gratiam. « Cum enim Dei opera, inquit S. Severus episcopus Minoricensis, in epist. de Judæorum conversatione, revelare et confiteri honorificum esse, Raphael archangelus moneat, profecto silere vel celare opera Christi periculosum est. » Annon idem fecit David, cum dixit Psal. LXV. *Venite, et narrabo, omnes qui timebunt Deum, quanta fecit animæ meæ.*

VII. Cur in sinu Christi recubuit? Resp. primo, ut esset testis gestorum Christi fide dignior, utpote præsentissimus: secundo, ad commendandum decus virginitatis, juxta id Proverb. XXII. *Qui diligit cordis munditiam, habebit amicum regem;* hinc Apocal. c. XIV. virgines proximæ Agnovisæ sunt: tertio, ut inde secretiora mysteria evangelii et Apocalypseos hauriret: quarto, ut amorem Christi erga se ex hoc agnosceret.

Nos ergo, auditores, Joannis innocentiam imitemur, ut ad complexum Christi admittamur, cum hinc ad ipsum migraturi sumus.

AUCTARIUM.

CONCIO I.

QUINQUE JOANNIS PRÆROGATIVÆ.

I. Recubuit in sinu Christi. — II. Commendatam sibi accepit Matrem Christi. — III. Morte non violenta, sed naturali, in pace obiit. — IV. Vitæ longævitate cæteros superavit. — V. Majorem præ cæteris accepit sapientiam.

THEMA.

Conversus Petrus vidit illum discipulum, quem diligebat Jesus. Joan. XXI.

Non immerito censent aliqui Benjaminum, inter illius magni patriarchæ Jacobi duodecim filios natu minimum, fuisse typum Joannis, qui et ipse inter duodecim Christi discipulos fuit ætate minimus. Neque desunt alia plures rationes. Quomodo enim Benjamin solus inter fratres fuit Josepho couterinus, ex eadem matre, cum alibi ex solo patre ipsius fratres essent; ita etiam S. Joannes fuit Christo, vero Josepho ac Salvatore, frater, non solum ex Patre creatore (uti alii discipuli) sed etiam ex matre (per gratiam, non per naturam) quam Christus Joanni,

velut matrem filio commendavit in cruce. Quomodo etiam Benjamin præ aliis fratribus suis quinque ferculis, et in habitu quinque stolis fuit cohonestatus a Josepho, præterea etiam aliis amoris argumentis reliquis præpositus; ita etiam Joannes quinque prærogativas accepit a Christo, et quidem insignes, ad demonstrandum peculiarem quemdam amoris affectum erga ipsum; quas hic exponemus.

Quinque, ut dixi, peculiaria amoris argumenta exhibuit Josephus Benjamin, couterino fratri.

I. Joseph ubi se aperuit fratribus suis, valedicens eis: *Amplexatus recidit in collum Benjamin fratris sui ac flevit.* quod aliis fratribus non fecit, Gen. XLV. Præstitit hoc Joanni Christus, quando eum in cœna recumbens recepit in sinum suum. Sic enim et ipse amplexatus est Joannem præ dulcedine amoris, suo pectore eum fovens. Magna certe gratia et prærogativa: siquidem alter Joannes, Baptista scilicet, indignum se reputavit, qui corrigiam calceamenti ejus solveret: et olim Moyses calceos exuere jussus est, priusquam ad rubum ardentem et ex eo loquentem